

Wg  
1471

C  
C  
E

Wg  
1441

306.\*

RECENSUS  
SEU BREVIS EXPOSITIO  
**OMNIUM HUJUS SE-  
CULI CANCELLARIORUM, QVO-  
RUM MAXIMA IN PATRIAM UNIVERSAM EXTANT, ET  
SUMMO JURE DEPRÆDICANTUR MERITA.**

<sup>QVIA</sup>  
ILLUSTRISSIMOS COMITES AC DOMINOS

**RUTHENOS,**

DOMINOS AC NUTRITIOS GRATIOSISSIMOS,

SUMME <sup>NEC NON</sup> VENERABILES

**DNN. INSPECTORES,  
OMNES ITEM OMNIUM ORDI-  
NUM HONORATISSIMOS VIROS,**

*Ad*

**Parentalem Orationem,**

VIRO, DUM VIVEBAT,

*MAGNIFICO, NOBILISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO*

**DN.CHRISTOPH.LIMMERO,**

*Hcتو, Hereditario in Zeils. & Scheibengroßdorff/*

CANCELLARIO AC CONSILIARIO RUTHENO-PLAVIENSI,

CONSISTORII DIRECTORI, GYMNASIIQUE EPHORO

VIGILANTISSIMO, GRAVISSIMO,

sacram,

clementer, benevolè ac frequenter auscultandam,

**M. JO. FRIDERICUS Röber / RECTOR.**

humiliter, observanter admodum ac humanissimè

invitat.


Habiturus illam, cras, DEO annuente

hora pomeridiana II. est

de promptâ memoria

**GABRIEL CHRISTOPHORUS Margareti/  
SCHLEIZA-VARISCUS.**

— — — — — GERÆ, Literis WERTHERIANIS.



**R**Ecenti semper, quin perpetuâ potius laudum adorâ opus  
habere, quam fletu, ejulatu & lamentis, præstantissimos ac  
de publicâ re bene merentissimos Viros; Id verò inter o-  
mnes cordatiores, opinor, constat. Quid enim ad sum-  
mam proficiunt lachrymæ, si ingentes Viri digressi mundo sunt, &  
ultimum dixerunt vale? An postliminio reducunt in hanc vitam,  
qui excessere? *Dolere ob amissum eum, quem amabas, tam esse ineptum* dicit  
Seneca, sapientissimus de porticu, quam scire, quod arboribus amœnis &  
domum ornantibus decidunt folia. Et Valerius Maximus prudenter ait:  
*Quid attinet, aut humano dolori indulgeri, aut divino Numinis invidiam fie-  
ri, quod immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit?* Adeò sunt &  
quædam lachrymarum ineptiæ, cum, quod recuperari non potest  
aut repeti, amissum quæritur, cum nimio animi dolere. Frustra est  
omnis querela, omne desiderium. Quin potius, qui rectè se gesse-  
runt, suisque laudabiliter functi sunt partibus, egregie de egregio pu-  
blico meriti, post fata etiam suis mactandi laudibus sunt, & vel ad  
astra evehendi. Hi enim omnes *in perpetuum per gloriam vivere in-  
selelliguntur*, quod sacratissimus Imperator ait; & male adeò cum istis  
agitur, si unâ cum vitâ eorum fama quoq; intercidit, & meritorum  
gloria ac decus ingratis oblivionum cineribus per summum nefas  
sepelitur. Etsi enim à veritate non abludit, quod Salvianus, Episco-  
pus Massiliensis doctissimus, dixit, *tunc stabilem & firmam esse laudem,*  
*quando meritum non poterit iam perire laudari:* Ecquis tamen magno-  
pere negatum eat Horatianum illud:

*Pauum sepulta distat inertie  
Celaæ virtus.*

Per famam vivit virtus, & in omnium ore viget & recentatur velu-  
ti: Per laudem immortale redditur nomen, quô mortalis homo  
per vitam suam gavisus est. Atque idcirco neminem opinor vi-  
tio nobis daturum, aut sequiorem rapturum in partem, si, quod an-  
tidhac AMPLISSIMIS CONSILIARIIS RUTHENO-GERANIS  
pietatis monumentum ex merito erexit, id & MAGNIFICIS  
CANCELLARIIS nunc ipsum, pro nostrâ in piissimos Eorundem  
Manes observantiâ summâ, statuamus. Parentale enim sacrum  
SENATORI PATRIÆ PRIMARIO, sive CANCELLARIO, VI-  
RORUM nempe MERITIS VERE ILLUSTRI, B. CHRISTOPHORO  
LIMMERO, JCTO EXERCITATISSIMO, PRUDENTISSI-  
MO, HEREDITARIO IN Zeils: ET Scheibengroßdorff/  
more

more Majorum instituendum venit. Quæ occasio tam egregia non  
potest non stimulos nobis & calcar in F gere, & honestarum quasifti-  
riarum tædas subdere, ut de Cancellariis Ruthenicis, quorum hoc se-  
culo, ad senium capulare nunc proclivi, in Dynastias hasce insignia  
extitere merita, verborum nonnihil faciamus. Faciamus vero hoc  
ita, & sic nos comparabimus, ut singulos cum singulis Romano-  
rum prærioribus Jure Consultis, iisq; laudium immortalitate dignis-  
mis, breviter comparatum eamus. Etsi enim non adeò sumus suf-  
fici nobis, ut cum Româ Gentium illa Dea, terrarumque ac urbium  
Principe, Ruthenicas ditiones conferre per omnia audeamus; quid  
impedit tamen, quò minus summos istos juris apud nos & æqui In-  
terpretes iis, quorum inter Romanos maxima fuerunt merita, nec  
minora nomina, pares ponamus? Adeò prudentia singulari & usu  
rerum diuturno ubique terrarum opus est, si publica florere & con-  
servari intemerata salus debet. Primus ergo in Theatrum se sifstat  
D. JOHANNES HOFMANNUS, HALLENSIS SAXO, Vir su-  
pra meam qualem cunque, quid? omnium, & vel eloquentissimo-  
rum laudem positus. Quem, si cum aliquo ex vetustiorum Roma-  
rum Juris peritis conferendus sit, cum Appio Claudio comparan-  
dum ex vero dixerim. Erat hic prudentia insigni, ac de communi  
Romanorum salute præter cæteros nunquam non sollicitus. In  
quo eundem presso pede & HOFMANNUS noster infecutus est,  
Vir quippe multò prudentissimus, inque id intentus unice, quod ad  
salutem atq; emolumentum Reipubl. nostræ videbatur ulla ex parte  
conferre. Appiam ille viam stravit, & aquam, quam ab illius nomi-  
ne Claudiam dixerat, derivavit atque induxit in urbem. Quid HOF-  
MANNUM dicamus? Videtur in multis stravisse ac parasse viam,  
qua hodieque itur ad tuenda ILLUSTRISSIMORUM RUTHENI-  
ORUM Privilegia, immunitates & regalia, quæ vocant civilis pru-  
dentiae consulti. Qua de catifa rivulis quasi quatuor irrigare studuit  
publicæ salutis arva, summa que hæc inculcavit sedulitate observan-  
da perpetim, Ecclesiæ scilicet visitationem, justitiæ vigorem, & su-  
premam in terris hisce autoritatem, & Scholæ præterea illustris con-  
servationem. Si enim sacra firmo constiterint talo, si publica res suâ  
polleat integritate, si sua imperantibus vigeat auctoritas, si res floreat  
non male literaria; ecquid ad felicitatem deesse publicam queat?  
Quamvis igitur HOFMANNUS de Pyrro, in urbem non reci-  
piendo, sententiam non tulerit, quod de Appio traditum est à Pom-  
ponio JCto: nihilo tamen minus optimis ac prudentissimis consi-

Tiis suis id effecit, ut non haberent temerè, cur formidarent alios, aut  
confernatò animo nimium metuerent DYNASTÆ. Coeterum  
reverentiam non excludit timor, nec facit, quò minus comiter co-  
lantur & ex officio, qui alios supereminēt potentiā ac opibus ex-  
cellunt. Sed de HOFMANNO satis, qui ipsos XXII. annos Can-  
cellarii muniis functus est singulari auctoritate a clade, fatisq; apud  
nos cessit anno ætatis tertio & quinquagesimo, seculi hujus decimo.  
HOFMANNO surrogatus fuit primum quidem Consiliarius, sed,  
pauxillo deinde interiecto tempore, Cancellarius VIR MAGNIFI-  
CUS, NOBILISSIMUSque ac CONSULTISSIMUS D. HEIN-  
RICUS GEBHARDI, cognomento WESENERUS, ERFURT-  
NUS, Hereditarius in Selmitio, Vir prudentiæ non minus, ac sedu-  
litatis fidei quicunque inclytus. Ethunc cum Sempronio, quem po-  
pulus Romanus, propter maximam Juri, scientiam Sophum seu sa-  
pientem adpellavit, quò nomine aut ante hunc, aut post hunc nemo  
cognominatus est, teste Pomponio, quidni comparatum eamus?  
Sanè & GEBHARDUS verè  $\sigma\circ\phi\circ$ s fuit, præcipue si juridicinæ ex-  
ætiam respiciamus notitiam, quâ non leviter tinctus, sed planè peni-  
tus imbutus fuit. Hac magistrâ non duntaxat per ipsos triginta an-  
nos, cum immortali nominis gloriâ, Dicasterii Ruthenici Cancellis  
præfuit, sed per tredecim quoque annos eandem dignitatem in Sere-  
nissima Altenburgensi aulâ, longe majori cum dignitate, & laude  
nunquam intermoriturâ sustinuit. Num temerare aut atterere sa-  
pientiæ ejus promeritam laudem non nihil possit, quod falce in  
alienam messem immisâ, sub Gottlibii Heilandi ficto nomine, chi-  
liasmo non aliena sparserit; id verò arbitrandum cordatoribus re-  
lictum esto. Scilicet hominum censu nec sapientissimi mortalium  
se eximunt, & peccant, quos vel sapientum octavos habere possis.  
Obiit apud nos, cum suos inviseret ultimâ vice, Vir omnino magnus,  
septuagenario major Anno M.DC.LIII. in templo primariò solenni  
planè pompâ compositus & humatus. Sempronio successit apud  
Romanos P. Cornelius Scipio Nasica, illo non planè minor, si non  
omnino major. Præstat enim optimum dici, quam sapientem. Et  
dictus omnino optimus à Senatu Scipio est, eidemq; publice domus  
in sacra viâ data fuit. Ita GEBHARDO in locum, quem vacuefece-  
rat Anno M.DC.XL. jure quodam meritissimo suffectus est VIR  
quondam MAGNIFICUS ac SUMMUS D. JOHANNES AL-  
BERTI, LOBENSTEINENSIS, Hereditarius in Wiedersberg, Ictus  
consummatissimus ac quinquaginta annorum variò usu, in Comi-  
tiis

cis Imperii præcipue diversis, ad quæ Legatus Wetterayicus missus fuerat, exercitatissimus. Cui tantum omnino debent Dynastiæ Ruthenicae, ut eum non possint non Nasicam suū optimum, Nestoremq; Sapientissimum adpellare, eidemque ex gratissimo erigere animo

Monumentum ære perennius,  
Regalij situ Pyramidum altius:  
Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens  
Posse diruere, aut innumerabilis  
Annorum series, & fuga temporum.

Scipio ille matrem Deūm hospitio excepisse commemoratur LIVIO & Valerio Maximo, Scriptoribus non evulgo; deprædicatur etiam justitia ejus & pietas in Deos. Sed valeat ille, suasque sibires habeat cum Deā ac Diis, quos cœcā quadam superstitione abreptus coluit. ALBERTUS noster & verum toto animo veneratus Deum est, & quod juris ac æqui sacerdotem decet, curā indefide justitiae advigilavit, ut suffragiis omnium optimi nomen indeptus sit. Vitam cum morte, vel mortem potius cum vita commutavit optimus ille sive Nestor, sive Nasica Ruthenicus anno M. DC. LXXX. maximò sui desiderio in boni cuiusvis animo relicto. Sed veniendum denique ad eum est, cujus potissimum gratiæ atque honori scriptione hac quali quali ex merito velificamur. Fuit is, proh fuit VIR MERITIS & VARIIS & EXIMIIS VERE ILLUSTRIS, D. CHRISTOPHORUS LIMMERUS, SCHLEIZENSIS, JURE CONSULTUS & CANCELLARIUS NON TAM LAUDANDUS, QVAM LAUDEM OMNEM MAXIME SUPERGRESSUS. Hicigitur cum Romanorum sapientissimo, M. Porcio Catone non inepte comparari posse videtur; qui primū, ut Plutarchus testatur, tertio nomine non Cato, sed Priscus adpellatus fuit, postea Catonis nomen indeptus à solertia: Romani enim experientem rerum, Cati vel Catonis insigniunt adpellatione. Omittimus hīc natales & patriam, & si quæ alia sunt, quæ morosius vulgo inculcant præcepta Rhetorum. Quæ et si insuper habenda semper non sint; rem tamen curatus paulò expendentibus, constare ex facili potest, ea ad nos impræsentiarum magnoperè non pertinere. Cæterum si utriusque expendiimus virtutes, si rationem officiorum, quibus functi sunt, ponderamus, si animum præterea in suam cuiusque Rempubl. & mortem denique ipsam, quam obierunt uterque, sollicitius intuemur; tanta in iis se offert similitudo, quanta in aliis inveniri vix ac ne vix quidem potest. Cato, ut Cornelius Nepos auctor est, quo ad vixit, Virtutum laude crevit, in omnibus etiam rebus singulari fuit & prudenter & industria;

Vir nimirum in commune bonus, ut Lucano Poëtæ celebratur, & in omni virtute Princeps, quod Ciceronis de ipso encomium est, virtutumq; imago viva, certiusq; sapientia exemplar, quam Hercules & Ulysses, ut Seneçæ commendatur. Quod si excutiamus LIMMERI Nostri vitam non minus variarum virtutum decora & ornamenta deprehendimus. A parvo admodum puer, studiis literarum, quibus impertiri prima ætas solet, sedulam navavit operam, adultior etiam factus in Academiis cum Jenensi & Lipsiensi, tum & Aldorfina Noricâ studio Jurisprudentiæ totum se mancipavit, præstantissimos ejus Doctores attentissime auscultavit, & ut quotidie proficeret in juris & æqui notiâ, operam omnem industriamq; impendit, suo non dissimilis Catoni, quem cupidissimum literarum fuisse Cornelius testatur; quem & Helluonem librorum M. Tullius vocat, cum in eo tam in exhausta legendi aviditas fuerit, ut satiari non posset. Bellis ac provinciarum excediis ardebat omnia, interque cineres & fortunarum suarum ruinæ ac busta exangvis, & spiritu omni propemodum defecta jacebat Patria, ac status adeò cuiusq; afflictus & labefactatus erat, ut non longissime à miseria abesset. Sed nihil hujus cohibere animum LIMMERI, aut revocare à studiorum, quibus se dederat, cursu laudabiliter cœptò, poterat. Absolvit eundem feliciter & cum applausu eruditorum, lauream Doctoralem per virtutem, in quam repulsa cedere non potest, consecutus. Igitur quod Cato castra secutus egit, & quicquid laborum exantlavit, (primum quippe stipendum meruit annorum decem septemque multisque deinde præliis fortissimus miles interfuit) id LIMMERUS in militia togata, non minori cum animi contentione, nec infeliori successu fecit, longè majorem inde consecutus laudem, quam si vel urbes æquasset solo, vel infinitam hominum stragem edidisset. Suam verò industriam illam indefessam, peritiamque Juris insignem probavit omnibus, ILLUSTRIS SIMIS præcipue RUTHENIS Nostris, cum inter Consiliarios adoptatus, per quadraginta ipsos annos, & Cancellarius denique, quod axio ma quinque admodum annos laudatissime sustinuit, nihil non egit summa fide, admiranda dexteritate, indefessa opera, auctoritate insigni, quod suarum esse partium non ignoravit. Testabitur hoc sacrum Synedrium, ubi de rebus, ad Ecclesiae Scholarumq; utilitatem spectantibus, egregia dedit consilia; testabitur illustre Dicasterium, ubi tot annos litigantibus incorruptissimus & accuratissimus sed sit arbiter, controversiasq; prudentissime decidit; testabitur ILLUSTRISSIMA DOMUS RUTHENICA, cui nunquam non sapiens.

tissimè pariter ac utilissime consuluit. Ut ex voto omnium, quæ incumbebant, negotia conficeret, ne improbissimis quidem laboribus pepercit. Ut de aliis nunc nihil dicamus, qui privato ejus consilio & operâ, cum magno rerum suarum emolumento usi sunt. Adeo *ferre prope corporis animiq. in patientia laboris fuit Noster;* Quod de Catone T. Livius commemorat. Nihil sane dubitabat cum curâ & operâ, ipsam quoque valetudinem unâ impendere, putans se, dum sua ageret sedulo, pluribus horis cum Deo victurum. Neque enim vita ad somnum atque inertiam, sed laborem atque vigiliam data est. Catonem propter morum gravitatem, singularemque justitiam Virgilius in campis Elysiis judicem facit, canens:

*Secretosq. pios, & dantem his iara Catonem;*

Nec pauci sunt, qui Censorium à severitate dictum volunt. Fuit & NOSTER, si qua opus, severus quidam & accuratus morum censor; quod tantò minus exprobrari eidem potest, quantò magis Consiliarium decet, rigidum esse justitiae satellitem. *O Te felicem,*  
*M. Porci, à quo rem improbam petere nemo andet!* severum alloquebatur Cicero Catonem. Nimirum aliud tempus severitatis est & accurati juris, aliud & lenitatis. Serium aliquid ac grave mores Consiliarii verendos ac suspiciendos facit: Amoenum ac suave, iis commistum, & amabilem reddit. Aderat in LIMMERO severitas, sed sine rigore, gravitas, sed sine molestia: multum comitatis & humanitatis elucescebat semper, quoties cum ipso in causâ bona congregendum erat. Patebat omnibus, quoties necessitas interpellabat, audiebat omnes, & pro re nata, respondebat omnibus, multâ prudentiæ ac justitiae laude, nulla imminutæ gravitatis culpa. Itaque quam verendus improbis, tam amabilis existebat probis. Etenim utroque hîc opus est, quò terreas alios, alios verò soleris ac erigas, omnes metu aut spe simpleas. Èò fuit Cato in Patriam amore ac fide, ut, si cui prodesse operâ suâ & officio posset, neminem à se tristem abire permitteret. *Quin & Cornelio si credendum, circiter annos octuaginta, usq. ad extremam etatem, ab adolescentia, Reipublice causa suscipere inimicitias non destitit.* Attestor vestram omnium fidem, qui cunque proprius innotuisti LIMMERO, an frigidius ipsi in nostram Rempubl. & omnes bonos studium fuit? Novisti scilicet, quam nihil intermisserit, quod Patriæ, quod ILLUSTRISSIMIS COMITIBUS RUTHENIS, quod aliis quibuscunque emolumento, saluti, decori esse potuit. Reputabat quippe perpetuò, quid Patriæ, quid singulis deberet. Evidem, dum in hanc curam bona fide incumbebat,

Ms. 1471

bebatur, non nullorum odia in se & similitates concitabat. Quod etsi non ignorabat Noster, sed animadvertebat cautè, ut sagacissimus ac diuturna subactus experientia hariolus; tamen sui memor officii, nec hominum improbitatis ignarus, patienti pariter & prudenti ferebat animo. Consiliarium enim & Cancellarium oportet esse Catonem intrepidum, qui, quicquid oboriatur adversitatum, fortiter adeat, adoriatur intrepide, feliciter profliget. Neque enim inimici & resque adversæ possunt deesse ei, qui auctoritatem DOMINORUM SUORUM, salutem Patriæ, communem omnium utilitatem pro scopo sibi præfixam habet. Tandem senex admodum mortem oppetiit Cato, postquam sapientis nomen consecutus erat, ut testis locupletissimus est Cicero. Qui nec ipsum Socratem, quem sapientissimum Apollo judicavit, Catoni anteponendum censuit. Quorsum etiam pertinent veteris Poëtæ versus isti:

*Sperne mores transmarinos, mille habent officias.*

*Cive Romano per orbem nemo vivit rellius.*

*Quippe malo unum Catonem, quam trecentos Socratas.*

Ita MERITISSIMUS DE NOBIS LIMMERUS vivendo fecit septuaginta & unum annos, cum octiduo, sibi quidem satis vixisse visus, propter arduos labores, quos subiit, nobis tamen nunquam satis, quippe qui prudentia ejus exercitatiissimâ, iudicio acerrimô, sedulitate nunquam defatigatâ ægre admodum careramus. Quoniam verò commutare non licet aut invertere, quæ DEI, summi & unici rerum nostrarum diribratoris, nutu facta sunt; ideo non possumus non eiusdem voluntati nostram accommodare, LIMMERO BEATISSIMO suam, gratulari felicitatem, & monumentum gratitudinis in cordibus nostris excitare, ac fateri tandem, quod SAPIENTISSIMUS nobis CATO RUTHENICUS morte ereptus fit. TUA verò LIMMERE BEATISSIME, quæ numero in nos innumerò extant, MERITA, nulla nox oblivionis obscurabit, nulla tempestas temporum invertet. DEUS, quem TU nunc inter cœlites inconnivi obtutu summâ cum voluptate adspicis, TUOS conservet ab omni malo immunes, conservet etiam GENEROSUM DN. SUCCESSOREM TUUM, & FIDISSIMUM hujus ACHATEM, totamque præterea Patriam, hujusdemque CONSERVATORES, DEOSque TUTELARES, PRÆCELSOS COMITES AC DOMINOS RUTHENOS, ut semper vigeat orthodoxa inter nos Ecclesia, veneranda Dice, quies & pax aurea, fœcunditas exoptata, sanitas edecumata, litterarum bonarum amor ac studium perpetuum. Quæ si bene habent per tuam, gratiam, sufficit. De cætero ne quid intermissose pietatis, quam BEATIS LAUDATISSIMI LIMMERI MANIBUS debemus, videamur; cras, DEO feliciter, annuente, IISDEM nomine publico Oratione Latina, eaque politâ & ingeniosâ exacteque elaboratâ parenturus, ORNATISSIMUS ADOLESCENS, & iam pridem virtute probitate, industriâ singulari, ac doctrinâ non vulgari bonis omnibus commendatus, GABRIEL CHRISTOPHORUS Marquart, SCHLEIZA-VARISCUS, Horâ II. pomeridianâ, in Acroaterio, hisce Agonibus destinatâ, cathedram consendet. Igitur ut MERITISSIMO DE OMNIBUS VIRO cùm MAXIME VENERABILES DNN. INSPECTORES, tūm & ORDINUM QVORUMCUNQUE SUMMI ET MEDIOXUM VIRI, & QVICUNQVE MUSIS FAVENT AC PIETATI, OMNES, hunc præstare honorem ultimum haud gravatim, & frequenti adeò honorificaque præsentia testari velint, quanti MAXIMUM VIRUM viventem fecerint juxta & æstimaverint; enixe etiam atque etiam rogitamus. Tantam in se benevolentiam & NOBILISSIMA LIMMERIANA FAMILIA in magno beneficij loco ponet, & nos gratitudinem, quanta maxima profici sci à nostra tenuitate potest, pollicemur. P. P. GERÆ RUTHENICÆ d. XXV. Octobr. A. O. R. 80 Ic LXXXVII.

**ULB Halle**  
004 973 496

3



1077



Wg  
1471

306.\*

# RECENSUS SEU BREVIS EXPOSITIO OMNIUM HUJUS SE-

CULI CANCELLA

RUM MAXIMA IN PATRIAM  
SUMMO JURE DEPRÆ

ILLUSTRISSIMOS COM  
**RUTHI**

DOMINOS AC NUTRIT

SUMME <sup>NEC</sup> VE

DNN. IN SP  
OMNES ITEM C  
NUM HONORAT

## Parentalem

VIRO, DUM

MAGNIFICO, NOBILISSIM

DN. CHRISTO

Jcto, Hereditario in Zei

CANCELLARIO AC CONSIL

CONSISTORII DIRECTOR

VIGILANTISSIM

fac

clementer, benevolè ac

M. JO. FRIDERIC

humiliter, observanter a

in

Habiturus illam, cras, DEO annuente

hora pomeridiana II. est

de promptâ memoria

GABRIEL CHRISTOPHORUS Marqvarth/  
SCHLEIZA-VARISCUS.

GERÆ, Literis WERTHERIANIS.

